



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Nidrosien. Archiepiscopo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

possit in regno Norrvagiæ denuo debacchari, aut persecutionem in Ecclesiis ulterius suscitare. Datum ut supra.

In eundem modum illustri Regi Suetiæ. In eundem modum nobili viro Comiti Suetiæ.

NIDROSIEN. ARCHIEPISCOPO.

EXaminatam tuæ fidei puritatem & fervoris constantiam, quam nec persecutio nec gladius nec fames nec exilium diuturnum à caritate Christi separare potuit, vel dejicere à statu libertatis ecclesiasticæ conservando, quem etiam nec terror coëgit, nec minæ moverunt, nec demulserunt blanditiæ, nec preces nec promissiones potuerunt inducere ut Suero sacrilego & apostata, qui regnum Norrvagiæ per effusionem sanguinis & violentiam occupavit, in matris infamiam se asserens de regali progenie descendisse, vel latenter annueres, vel expressè faveres, dignis in Domino laudibus commendamus; & tanto amplius ex hoc tuæ fraternitatis fortitudini congaudemus, quanto in te potius persecutor exarsit, sed constantia tua ejus tyrannidem superavit. Vnde cum tibi contra tyrannum illum à tuis esset suffraganeis assistendum, nec eorum aliquis eidem excommunicato deberet præstare favorem, utpote qui Ecclesias & ecclesiasticos viros servituti subjicere nititur, opprimere pauperes; & effundere sanguinem innocentem, ferre non possumus non molestè quòd Bergen. Episcopus, suffraganeus tuus, contra bonæ memoriæ Celestini Papæ prædecessoris nostri mandatum, & contra tuum etiam interdictum, castra ipsius sequi non dubitat, celebrans excommunicato divina, & in ejus præsentia universa exercens ecclesiastica sacramenta: qui licet à te fuerit sapius evocatus, tuo tamen se noluit conspectui præsentare. Quia verò tanta præsumptio severiori debet animadversione puniri, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus atque præcipimus quatenus Episcopum ipsum, si præmissis veritas suffragatur, ab officio beneficiique suspendas, nec prius sententiam suspensionis relaxes, quam nostro se conspectui præsentarit. Quòd si forsan sententiam tuam servare, neglexerit, eum anathematis censura percillas, & singulis diebus do-

minicis & festivis, pulsatis campanis, & candelis extinctis, excommunicatum facias publicè nunciari: ut quem timor Domini à malo non revocat, rubor saltem & pœna compescant. Sciturus quòd nos prædictum Suero absolere non proposuimus, nisi taliter satisfaceret de commissis, quòd ejus esset satisfactio non irrationabiliter admittenda. Datum ut supra.

*VERONEN. EPISCOPO
S. Romanæ Ecclesiæ Cardinali.*

Sicut ex tuarum & aliorum multorum accepimus contentia literarum, cum V. Ecclesiæ de Nigrario Clericus adversus Archipresbyterum & fratres ipsius plebis graves inimicitias concepisset, tu eum propter enormia facinora sua, & quia cum sceleratis & iniquis hominibus conversando arma portabat Clericis interdicta, multaque alia nefaria committebat, ab officio beneficiique suspensum excommunicationis etiam vinculo innodasti. Clericus autem ipse in concepta malitia perseverans, eundem Archipresbyterum, boni testimonij virum, sanguine generosum, amicum religionis, hospitalitatis superatorem & aliorum operum pietatis, à Veronen. civitate, ad quam profectus fuerat pro Ecclesiæ suæ negotiis peragendis, ad suam Ecclesiam redeuntem, cum complicitibus suis seculari potestate bannitis, diabolo instigante, propriis manibus (sicut dicitur) interemit, & in frustra concidere non expavit. Cumque ceteris fugientibus ipse à Potestate ac Consulibus captus, detrusus fuisset in carcerem, & propter validas probationes & indicia manifesta ferri posset in eum sententia capitalis; ad majorem facinoris evidentiam, licet quòd reus esset sanguinis defuncti Archipresbyteri à populo clamaretur, ad paucorum tamen instantiam indictum est à Potestate personale duelum. Verum in tanto discrimine constitutus, & vitæ suæ pertimescens, utpote perpetrati sceleris conscientia vulneratus, patre medio, qui pro se ac filiis pacem pro morte dicti Archipresbyteri dicitur recepisse, mandatis consanguineorum defuncti per omnia parere promissit. Quibus pro illata injuria octingentas libras intercedente pacto promissit pariter & persolvit. Et quoniam amici Clerici memorati apud te precibus instare

F f ij

*Epist. 384.
Vi. Bergenem
Episcopum ty-
ranni fauorem
deponat.*

*Epist. 385.
De homicida
deponendo ab
ordine facto.*